

J. J.
DE
POLITIA
ANTE LAPSUM

disputabunt publicè

M. IMMANUEL *Weber* / Lips.

&

JOH. CHRISTIANUS *Boch* / Grimm.
Phil. & B. A. Baccal.

Ad d. XVI. Jun. A. C. M. DC. LXXXIII.

LIPSIÆ,
Literis CHRISTIANI GÖTZI.

b. l. diss. A
1, 4

Diss. A. 231 (H)

DE
POLITIA
ANTE FABRUM

disponitur publice

M. IANUARI



JOH. CHRISTIANUS JOH. GÖTTLICH
Phil. & S. A. Baccal.
AN WITTENBERG A. C. M. DC. LXXXVII

LIPSIÆ
LUDWIG GÖTTLICH



CAPUT SECUNDUM,

DISP. II.

EXHIBENS

EXISTENTIAM POLITIÆ
ANTE LAPSUM.

§. I.



um, dicente Philosopho, πᾶσα διδασκαλία ἐκ τῶν ὑπαρχόντων γίνεσθαι γνώσεως, 2. *Analyt. 1. tr. 1. c. 1.* hoc est, prout Zabarella, *illa sint anteponenda, quorum cognitio ad reliquorum cognitionem necessaria, l. 2. de method. c. 20. p. 220.* cognitio verò alicujus entis adsercionē de ejus existentia meritò antecedit; inde nos de quidditate & essentia futuræ in statu integro Politixæ ex priori Disputatione certiores, nunc *an existere ita potuerit, sive, an in illa rerum naturâ ens tale, cui prius declarata Essentia competat, reperiendum fuerit, dispiciemus.*

§. 2.

Duo autem agenda inculcat bona methodus, unum, ut argumenta nostra pro corroboranda Politixæ Existentia in apricum proferamus; alterum, ut aciem adversæ partis, quam obvertit, contundamus. Utrumque breviter.

§. 3.

Suprà Politixæ hujus Essentiam ex ejusdem causis delineavi. Materiam quippe præbebant societates hominum integrorum simplices, e Paradiso, gentium

quasi vagina, in diversa orbis climata emigrantium, in
quas DEUS ipse *κατ' ὄψιν* præsens veniebat, *vid. §. 8. & 9.*
Formam seu ordinem ipsi adsignavi Deocratiam,
consistentem in regimine summæ potestatis divinæ
per medios magistratus humanos, *§. 12.* Naturam ra-
tionalem perfectam & hujus Societatis, tanquam sibi
convenientissimæ, cupidam intrinsecè & originaliter
impulisse adserui *§. 9.* eo ipso tamen nec hominum in-
tervenientia facta, fœdera, nec alia externa media ex-
clusurus. De finibus ob defectum revelationis, & qui-
dem *specialibus* nihil expressè determinatum est; sed for-
tassis nec impia, nec absurda erit conjectura, si *generales*
ipsius Reipublicæ honestatem inq; ea vivendi com-
moditatem statuamus. Hæc omnia igitur cum ita ex-
titisse non repugnet, argumentamur: *Cujuscunque dari*
causas, & quidem actuales non repugnat, id ipsum dari non repu-
gnat. Extra litem posita propositio nititur veritate hu-
jus canonis: *Posita causâ possibili, ponitur effectus possibilis.*
Atque Politia in statu integro &c. Minori per acta & proba-
ta constat, & infra firmitus constabit sua fides.

§. 4.

Haftenus visâ non-repugnantiâ, ulterius nunc
ex ipsa natura societatis civilis ejusdem existentiam li-
ceat demonstrare. Perfectissima siquidem omnium
societatum ea est, & simplicium incrementum, inde,
quâ à perfectissimo statu queat amoveri, haud video.
Possimus verò hocce nostrum adfertum facile cum à
priori, tum à posteriori deducere. *A priori* quidem,
quando deprehendimus, simplices societates, pater-
nam & conjugalem, principia esse, ex quibus demùm
concrefcit civitatis systema, quod prout in statu inte-
gro coaluisse concipiam, antehac latius exposui *§. 9.*
§. 10.

§ 10. Quemadmodum itaque omne totum perfectius
 est partibus, quippe ad quod hæc tendunt, & natura
 semper à generatione partium incipit, donec in toto
 eas perficiat: ita & societates hominum simplices
 tandem in unâ civili componuntur, qui ultimus ea-
 rundem perfectionis gradus est. Nec minus à posteriori
 hoc facile patebit, si nimirum ex effectu quodam per-
 fectissimam istius societatis naturam colligamus. Sa-
 nè natura rationalis, & quidem, quâ parte illæsa est, mo-
 nente Dn. Thomasio, *Philos. Pract. Tab. XXXIX. ad n. IV.*
n. 1. sive, ut eleganter exponit Buchananus, lux animis
nostris divinitus infusa, Dialog. de Jur. regn. ap. Scot. non procul
ab initio, omnes homines societati civili destinant, qui eo
ipso ad summum semper caput adspirant. Dixi primò
naturam, quâ parte illæsa est, destinare. Quatenus enim ho-
diè depravata, non mirum, si in bellum, hoc est, civilis societatis in-
ternecionem proclivem deprehendimus, quod idem Dn. Tho-
mas. l. c. Secundò Naturam omnes societati civili destina-
re. Omnes enim sunt ζῶα πολιτικά φύσιν, teste Aristot.
l. 1. Pol. c. 11. Quod quidem aliqui de societate quâvis a-
liâ in genere, quàm de civili in specie malunt admitte-
re. Inde Dn. Pufendorffius: Posito appetitu societatis in ho-
mine non inde statim sequitur, hominem naturâ ferri ad societatem
civilem, cum ille appetitus etiam per alias posset extinguï. J. N. &
G. Et Dn. D. von Böckellen sequitur quidem hominem, inquit, ad societa-
tem colendam cum hominibus propendere non est dubium, verùm ex
hoc non sequitur, statim ad civilem societatem hominem naturâ
propendere. Sunt & alia societates, in quibus non minus quàm
in civitate amicitia coli poterit, Discurs. Polit. de Societ. civil. prim.
element. p. 17. 18. Sed salva res erit, modò duplicem na-
turæ appetitum seu intentionem, quàm hic è Domin.
Soton. de Just. & Jur. l. 4. qu. 2. art. 2. Molinâ de Justit. tr. 2.
Diff. 32. n. 2. Thomâ 4. Sent. distinct. 36. in terminis paulò

aliter applicatis profert, statuamus, primam videl. & secundam, s. directam & indirectam. Civitas ex secunda & indirecta naturæ intentione est: primò enim & directè naturam homines in societate vel conjugali, vel paterna collocare, cui recta ratio minimè refragatur, ultrò largimur. Tertiò dixi, eo ipso homines ad summum caput aspirare. Connexa enim perpetua sunt, tendere ad societatem & consentire ad imperium seu activè, seu passivè; loquor autem de inæquali societate, qualis est Respublica. *Ubicunqve est societas, inquit Bœclerus, ibi est ordo parendi & imperandi, Not. ad Grot. L. 1. c. 3. p. 198.* Quemadmodum enim in simplicibus societatibus, quando vel ultra duos excrefcunt, deprehendere licet, omnes statim subordinari ad unum tanquam summum: ita & in magno illo societatum complexu omnia membra ad unum tendere constat apertissimè. Id quod præter jam dicta auctoritates summorum Virorum amplius confirmant, quorum aliquas saltem adducam. Aristoteles dicit: *Quandocunqve multa ad se invicem ordinentur, semper inveniri unum ut Principale & dirigens, Princip. Polit.* Thomas Aquin. *Part. 1. qv. XCVI. art. 4. Socialis vita multorum esse non potest, nisi aliquis presideat.* Magn. Zieglerus *ad Grot. l. II. c. 20. p. 435. Natura rationalis ac socialis dicitur, hominem naturâ ferri ad societatem tam domesticam, quam civilem: dicitur porrò, nullam ejusmodi societatem posse constare sine imperio.* Hæc ergò cum sit naturæ rationalis rectæ & fallere nesciæ vis ac potentia, ut societati civili omnes omninò homines destinet adducatqve, ecquis porrò dubitabit, eam omnium societatem esse perfectissimam? Quò evictò, evictò scilicet quòd Respubl. sit *societas perfectissima, eam perfectissimum statum dedecere non potuisse cum Magnif. Dn. Alberti Comp. Jar. N. Part. II. c. 14.*

§. 1.

§. 1. constanter profiteamur. Accedunt insuper aliorum testimonia, Thomæ, inqvientis, *homines in statu integro socialiter vixissent, socialis autem vitæ multorum esse non potest, nisi aliquis præsideret, loc. cit. Bœcleri l. c. p. 200. Si primævam naturæ rectitudinem retinuisset homo, non minus tamen imperandi parendiq; ordine usus esset, quàm societate, quæ sine tali ordine homine indigna esset; & quorum non? quibus recensendis tædium excitare nolumus. Dictorum potiùs summam in compendio exhibituri sic arguimus: Quæcunqve societas est perfectissima, ea perfectissimum statum dedecere non poterat! At qvi societas civilis &c. Majoris lux ex natura adjunctorum, Minoris verò ex antecedentibus radiat.*

§. 5.

At inqvis: Sit licet Respublica societatum perfectissima, potest tamen ex imperfectione enata esse. Si enim ad utrumqve statum, integrum & peccaminosum, metimur entia, alia sunt perfecta simpliciter, secundum perfectionem ipsius quoqve statûs perfecti; alia secundum quid & ex hypothesi statûs corrupti, cujus peculiaris sunt: quomodo e. gr. ab exercitiis bellicis militi, ab eleemosynarum liberali porrectione pio homini perfectio accedit. Quæ in hunc ferè sensum *de duplici genere præceptorum moralium, absolute scilicet, quæq; essentiam humanam, qualis à Deo creata, insequuntur, & ex hypothesi, quæ existentiam quasi hominis respiciunt, eumq; non nisi à supposito statu corruptionis obligant, proferat Strimesio, v. Orig. Mor. Diss. de Prim. B. Eth. subjecto, §. IX. p. 169. 170. Dubitari itaqve posset, an Politia sit societas simpliciter perfecta, an verò ex hypothesi statûs corrupti. Ita movere deprehendo Dn. Kirchmajerum, quando, etiam seria, ait, peccatorum pœnitentia, conversio hominum per se & in se res optima sunt & dicuntur, atqve tamen in Paradisiaca felicitate exulassent*

lassent penitus, Delic. Aestiv. Exerc. III. p. 87. Largimur hæc omnia Cl. Viro salvâ nostrâ thesi, largimur, inquam, pœnitentiam & conversionē, res utut optimas & Christianorum perfectiones, in illo integro statu non extitisse; Sed nostram Politiam ex tali numero esse negamus. Audiamus Keckermannum, Quicquid, ait, nunc per se & simpliciter bonum dicimus, id tūm summo perfectionis gradu viguisse certum est, tanquam suo principio proximum. Quicquid etiam nunc aliquam DEI similitudinem obtinet, ut est Majestas Principis, primis initiis absolutissimè ejus imaginem representavit. Diss. Pract. 29. qu. 3. p. 339. Quin ergò potius Politiam nos societatem perfectissimam simpliciter, non ex hypothēsi corruptionis defendemus; Quod autem pœnas, servilem subjectionem, coactionem & hisce similia, quibus hodiè opus est, remedia concernit, ea ex lapsu accessisse facile admittimus. Et hoc iisdemum firmiter persuaderi poterit, qui ejus Reipubl. statum verè concipient, ad eum videlicet modum, quo ex parte suprâ jam delineavimus. Ut autem eò clarior evadat, lubet ejus sciagraphiam, quâ clariorem vix invenio, ex B. D. Königio adducere. Ita verò ille: Familia, quæ à Protoplastis & eorum descendētibz fuissent propagata & multiplicata, atque hinc inde per totum mundum dispersa, non mansissent ἀκέφαλοι & ἀτακτοί, sed sub certo capite, conversationem suam & sociale vitam instituisset & peregisset. Quod Caput, ut omnia placidè & in utilitatem parentium disposuisset, atque ita in se gubernationem sine molestia, quinimò cum omni suavitate sustinuisset; sic subiectio parentium, agnito tam sereno & feracissimo imperio, vicissim non evasisset gravis aut molesta, sed levis atque jucunda. Compendio dixerim: Imperantes imperassent optimè, quod cognoscentes subditi obedivissent promptissimè. Hodie imperantes sæpè imperant pro suo commodo, unde fit, ut subditi hoc animadvertentes vicissim obtemperent cum tadio. Hujusmodi autem ἀταξία

ἐπιταξία prætergressa est per peccatum, quod cum aliis etiam hoc
invexit malum. Cas. Conscient. pag. 705. Distingvamus ergo
rem è modo, & accidentibus, & habebimus perfectis-
simam hanc societatem in statu perfectissimo. Vim
hactenus dictorum syllogismo exprimere quid vetat?
*Quaecunque societas est simpliciter perfecta, nec ex hypothese status
corrupti, illa competit statui integro; Atqui Societas civilis &c. E.*

§. 6.

Denique cum ipsa ἑξῆς πνεύματα suo inter se
convenient imperio, adeoq; Politia quoddam analo-
gum habeant, tantum abest, ut eam ipsam statui homi-
num integrorū adeò repugnare affirmemus, ut potius
*Angelorum Politia ac potestatibus non multum absimilem fuisse
credamus cum Joh. Ang. Werderhagen, Introd. univers.
in Reip. l. 1. c. 2. qu. 2. Sanè Scriptura Sacra expressè Mi-
chaëlem Archangelum & unum de principibus primis nominat
Dan. X, 13. Alios appellat thronos, alios dominationes, alios princi-
patus, alios Potestates, Col. I, 16. An autem præcisè sint no-
vem ordines à Pontificiis atqve Scholasticis in ἐπαρχί-
αι, μεσολαχίαι & ὑπαρχίαι distingvendi, de quibus vid.
Dion. Areopag. in Hier. cœlesti c. 6. Lombard. l. 2. dist.
pag. 152. aut quæ sint tres illæ angelorum Hierarchiæ
Werderhagii, quarum unam juxta mundum tenebricosum cum
regno Luciferi, alteram in & cum lucis igneiq; amoris mundo, ter-
tiam cum mysterio mundi externi, cum quo internus se manifestan-
do expresserit, vult intelligi ipse, si rogaretur, caliginis suæ
nunquam scio sufficiens interpretes, Synops. in Rempubl. Bo-
dini qu. CXI. p. 231. piè nos, cum Augustino, ignorare di-
dicimus, Enchir. ad Laurent. c. 58. t. 3. c. 172. Perplacet in
hâc re Rivetus, cujus verba adducemus: Inter angelos,
inquit, esse aliquem ordinem constitutum extra dubium est. Etsi e-
nim probari non debeat eorum temeritas, qui involantes in ea, quæ
nesciunt, curiosè nimis cœlorum secreta rimantur & definiunt; ex*

B

sacra

Sacra tamen Scriptura perspicuum est, esse aliquos inter ipsos gradus dominationum, principatum & potestatum, qui si in sanctis illis creaturis dari non repugnant statui beatitudinis, in hominibus repugnare non poterunt statui innocentiae. Conferre hinc operæ pretium erit Danæum l. 1. Polit. Christian. c. 4. p. m 35. & D. Sagittarium Diss. Academ. VII. qv. IX. p. 205, & 206. Brevibus nos expedituri sic colligimus: Cujuscunque analogon in angelis dari non repugnat, id non repugnat hominibus integris, Atque Politia & c. E.

§. 7.

Hæc pro asserenda statui integro Politia sufficere posse videntur. Nunc ad conflictum cum adversa parte nos accingimus, arietes eorum aliquot, quos contra nos intorquent, experturi.

§. 8.

Nisi omnia nos fallunt, adversarii nostri hac in causa cum gentilibus quibusdam sentiunt paria, qui, cum primis hominum tantas imperfectiones, quantis se immerfos deprehendebant, concreatas credere naturalis erga DEUM pietas vetaret, primum creationis tempus (*aureum seculum* puta) non poterant quidem, nisi sub multa felicitate sibi imaginari, sic tamen, ut divinam veritate destituti ad, nescio quas, aniles fabulas & nutricum *vuvvias*, prolaberentur. Quò referendum, ut alia taceam, quoque illud, quod leges, Respublicas & magistratus cum beato ejusmodi statu stare neutiquam posse, sed hæc omnia humanæ malitiæ confectaria, in seculo demum ferreo enata credebant cum plebe pariter ipsorum sapientissimi. Certè Plato sapiens Philosophus in *Politico* disertè scribit, in aurea illa etate & Saturni seculo nullas vel constitutas vel constituendas fuisse respublicas, quoniam tunc mundus ab ipso Deo reclusus, non autem humanis legibus aut consiliis gubernatus. Aliorum, Poëtarum imprimis, in-

numera

numera testimonia accersere mitto. Ab his, inquam, non longè abit adversa nobis pars, quidvis potiùs tranquillissimo statui aliud, quàm Republicas, concessura, quippe quas citra modernam imperfectionem animis concipere, propter præconceptarum opinionem, tenacissimè hærentium, familiaritatem haud didicit. Inde metum malitiamq; primò causam constituendæ Reipubl. h. est, ordinis inter superiores & inferiores, præbuisse, eumq; non à Deo propitio, sed irato pœnæ loco in genus humanum introductum putant, inclinantes iterum ad illos gentiliùm, qui leges omnesqve inter homines ordines præcedaneam ἀταξίαν infectos comminiscuntur. Verùm error hic, uti his facile condonandus, ita Christianis quàm gravissimè exprobrandus est, quem, quia prolixè id agunt Christ. Matthiæ, Syst. Polit. l. 2. Exerc. I. Sect. III. p. 197. Bœclerus l. c. p. 200. Dn. Fr. E. von Franckenberg / in der Schaub. der ist. Regier. Welt / IV. Fürst. S. 2. b. 39. aliq; hinc quidem refellere instituti ratio nō indiget. Juvat interim in hanc rem tantùm Danæi è l. c. aliquot verba recensere: *Hæc sententiâ, ait, quid perniciosius ad tuendam hominum societatem, aut ad Republicas, quæ procul dubio sunt generis humani conservandi vincula necessaria, retinendas periculosius, aut in ipsum quoq; humanæ societatis ordinem universum contumeliosius, aut perniciosius dici fingi potest? Nam hinc nati sunt Anabaptistarum furores generi humano periculosissimi, qui regna & principatus omnes improbant, evertunt ac tollere conantur. Sed satis ambagium, ipsos, quid pro sua causa loquantur, propiùs audiamus.*

§. 9.

Pleriq; ut oppugnent Rerumpubl. in Statu integro existentiam, negant fines, quorum gratiâ hodiè easdem existere intelligimus. *Ultimus est εὐδαιμονία f. vera beatitudo civilis, non uni homini, sed toti populo infinuanda; intermedius ἀνίστα, i. e. bonorum ac præfidio-*

rum externorum sufficientia, quò etiam vita pacata & vis externæ propulsio referuntur. At, inquit Dn. von Böckellen/ l.c. p. 35. cum ea omnia etiam extra Rempubl. abundè adsequi potuerint homines, quideà opus fuisset non video. Et Jac. Martini: Magistratus primùm post lapsum à Deo institutus, sancitus, ordinatus est in defensionem bonorum & pœnam malorum. Si enim mali non fuissent, boni à malis non fuissent offensi. Si hoc, ergò non opus fuisset defendere bonos & punire malos. Sublato autem sine tollitur id, quod ad finem ordinatum est vel ordinari debet. Colleg. III. in A. C. Disp. 27. §. 19. Conf. Joh. Wandalin. Jur. Reg. l. II. c. 4 p. 161. Id scilicet volunt: Quicquid obtineri potest citra Rempubl., propter id perperam coitur in Rempubl. Sed minimè omnium collectio procedit, cum sapiusculè, quod est finis alicujus societatis, illud etiam extra illam impetrari possit, manente nihilominus propter illum finem societate. E. g. Precum finis est exauditio, & hæc quin extra societatem orantium à singulis aliquando obtineri possit, dubium non est; est tamen nihilominus & manet propter illum finem ea societas. Sic conveniunt sæpè pacis condendæ gratia, collegia, quæ, dum consultatur, inter ipsas partes litigantes citra hocce collegium componitur, sed quis hoc in casu negaverit collegia istius gratia couisse? Ergò cum limitatione hunc in modum accipienda est propositio: Quicquid obtineri poterit simpliciter, æquè facilè ac perfectè citra Rempublicam ac in Republ., propter id perperam coitur in Rempublicam. At, inquit, etiam sub his limitibus suâ se persistere sententiâ. Respondemus distinctè 1.) quoad εὐδαιμονία faciles consentimus, si juxta definitionem Aristotelicam eadem dicatur, consistere ἐν ἐνεργίᾳ ψυχῆς κατ' ἀρετὴν αἰετὴν καὶ τελειοτάτην ἐπὶ δ' ἐν βίῳ τελείῳ, h. e. in operatione animæ rationalis, secundum virtutem optimam ac perfectissimam in vitâ perfectâ, I. Nicomach. 7. conf. X. 6. 7. Piccol. Grad. IX. Philos. moral. c. 28. Sanè enim talis, si vel maximè non ut uni homini, sed toti populo insinuanda, concipiatur, quid opus habeat Republ. quâ tali, i. e. illo parendi & imperandi ordine non perspicimus, quin potius in rectissimo illo rerum statu, qui tùm in vitâ virtuosâ constitisset, ab universis in quâvis societate eam potuisse abundè præstari cum lubentissimis confitemur. Aliud de corrupto statu sentiendum, ubi omninò propter hominum malitiam, qui sponte εὐδαιμονία sectari

sectari negligunt, impetantes in Republicâ vi eam ac coactione à subditis extorquent. Verius ergò in Statu corrupto quàm recto εὐδαιμονία sic accepta tanquàm finis Reipublicæ n̄ ireducativo sensu adsignatur. Possumus autem, nisi egregiè fallimur, εὐδαιμονίαν non malè aliter etiam, per intrinsecam Reipubl. honestatē interpretari, & tutò asserere, homines integros Rempublicam suā ipsius, non alterius cuiuspiam boni gratiâ, primariò appetuisse, sic, uti & ipsa virtus propter se sola appetitur. Quorum enim intellectus & voluntas erant perfectissima, quī poterant nescire, in multitudine bonorum honestum utili esse præferendum? 2.) Quod ad αὐτάρχειαν attinet, hic finis utile sapit. Si ergò vel maximè hunc demonstrare non possemus in statu perfecto, ubi omnium rerum abundantia & summa tranquillitas medium isthoc prorsus excludere creditur, nullatenus tamen Respubl. nobis intercederet, cuius tantùm subordinatus & secundarius hic finis est. Quid tu, ait Buchananus, utilitatem primam ac solam conciliatricem hominum fuisse arbitraris? Magnam profectò videtur quibusdam utilitas habere vim ad societatem publicam humani generis constituendam; sed est, nisi fallor, congregandorum hominum causa longè antiquior & communitatis eorum inter ipsos multò prius & sanctius vinculum, intrinseca videlicet, quam suprâ asseruimus, huius societatis honestas. Verùm enim verò, quamvis istis, quos adversarii objiciunt, in casibus v. g. defensionis, pœnæ, indigentia, utpote tum temporis non dabilibus, utilitas Reipubl. non appareat, quin tamen potuerit fortè in aliis, negari nec debet, nec potest, vel propter ista solùm, quæ *Disp. prior. §. 8.* de necessario Magistratûs usu in emigratione è Paradiso in novas colonias conjectavi. Conjecturis enim hîc contenti esse cogimur, quas pro invictis demonstrationibus uti haud venditamus, ita nec vicissim, obscuras & inconcinnas scopas sincero æstimatori easdem videri arbitramur.

§. 10.

Dein alii objiciunt libertatem primævam, quæ, cùm inter omnes æqualiter fuerit in statu integro distributa, non admittat imperium, legem aut subjectionem, quibus scilicet pereat libertas. *Definitur*, inquit Dn. Kirchmajerus *loc. cit. pag. 86.* *Respublica ab Aristotele ὅπως οἱ νόμοι ἀρχοῦσι*, at in *Paradisiaco* illo statu nullis humanis opus erat legibus. *Iusto lex posita erat nulla.*

B 3

Ad

Ad hæc respondemus distingvendo inter libertatē generis & grādū
 duum s. personalem & civilem. illa omnium, non hæc erat. Nemo
 enim eo tempore servus, [cūm *servitus omnis ex factō humano sit*] *q̄vō,*
 juxta illud Justiniani Imperatoris, *in Confirmat. Florent. sent.*
vel in l. 4. §. 1. servitus omnis contra naturam, i. e. ubi Commen-
 tator Hornii, Eppenstein, *Not. ad l. 1. c. 3, §. 2. p. 132.* exponit, *statui*
ei naturali, q̄vi ante factum omne humanum contigit, contraria sit;
 sed æq; omnes gaudebant facultate de negotiis liberè disponen-
 di, donec demūm certis in casibus q̄voad actum secūndum eādē
 ultrò sese abdicassent. Inde q̄voad certos gradus per particu-
 las illas, q̄væ aliis decesserant, aliorum libertas intensa, aliorum
 remissa, nec tamen planè deperdita, cūm *majus & minus non*
variant speciem, & esse sub aliorum dominio Angelorum libertatem
non destruat. Nodus Dn. Kirchmajeri facilè solvetur, si atten-
 damus (1.) Philosophi verba haud leviter corrumpi: loquitur e-
 nim Aristot. de legibus in genere, sub q̄vibus divinæ positivæ na-
 turales æqvè ac humanæ comprehenduntur; sed hic ad huma-
 nas solas perperam restringit. (2.) Posterior adsercio infirma
 corrūit, scilicet, *nullis legibus humanis fuisse opus.* Sive enim in-
 telligat tales *subjectivè*, non procedit propter leges naturæ, tum
 q̄voq̄ve temporis firmiter obligantes; sive *effectivè*, tolerari non
 potest ex eo, q̄vod humanæ societates sine pactis atq̄ve legibus
 humanis concipi non possunt. Quare & (3.) illud, *justo legem*
non esse positam ex 1. *Tim. I, 9.* planè hūc non quadrat. Justo lex
 non est posita ratione justificationis aut maledictionis, est ta-
 men omninò ratione obligationis, q̄vod observant Dn. Theologi.
 Nos saltem notamus, hoc sensu receptissimam Ethicorum sen-
 tentiam everti, q̄vi *leges media consequendi summi boni* statuunt,
 id q̄vod & Solonis scitum, *leges virtutis gratia esse conditas*, l. 1. *de*
leg. docet Dn. Thomasius noster, *Annot. 6. ad Tab. I, Eth.*
 §. 11. Non alienum prorsus ab hoc est, q̄vod Augustin. l. XIX.
de Civ. Dei cap. 15. objicit: *ledi per imperium imaginem divinam,*
utpote cujus haud exigua pars libertas fuerit. Verūm directa re-
 sponsio ad hæc à Theologis expectanda, q̄vorum in messem fal-
 cem nostram immittere nolumus. Nobis hoc sufficiat: videlicet
 certum est, in simplicibus q̄voq̄ve societatibus per pacta ac leges
 positivas, ut de naturalibus nihil moveam, libertatem fuisse re-
 strin-

stringendam. Inde sequeretur, in illis quoque periisse toties, quoties pactum tale inierint, imaginis divinæ partem; quod cum sit absurdum, statuimus, cum restrictione libertatis politicæ imaginem divinam optimè subsistere posse. Quid? quod & obstant mancipia ethnicorum Christiana. Perit his, sæpè piissimis, libertas, quam habent impiissimi ipsorum Domini, quis verò dixerit, impios & atheos possidere eam imaginis divinæ particulam, quæ in Christianis perierit?

§.12. Porro alios Formam Politicæ malè habet, quæ est ordo parentium & imperantium. *Aliorum, inquit, imperio subjici, & ex alieno judicio & voluntate pendere esse tum contra istum integritatis statum, ubi omnes æqualis perfectionis, cum contra naturalem voluntatis appetitum.* Sed respondemus ad prius, distinguendo inter imperium Politicum & δεσποτικόν. Hoc concedimus, illud negamus statui integro repugnare. *Vid. Diss. I. §.3.* Neque verò, quando Politicum nominamus, quodvis & quocunque sensu intelligimus, sed tale, quale ad conditiones istius status ex æquadrat. Acquisitionis enim hîc ratio habenda, quæ hodiè triplici viâ, vel vi bellicâ, vel hæreditate vel electione contingit. Priores duo modi ad corruptum statum propriè, ultimus ad utrumque pertinet. Constitit autem in hoc præprimis, ut Imperantes in negociis civilibus, quæ per unum quam omnes rectius expediri poterant, libertate sibi concessâ uterentur, reliquisque dominarentur, ut liberis, dirigendo ipsos ad bona communia, absque ulla coactione. Quod non ita accipi velimus, ac si subjective jus non habuerint, sed potius quod *ratione objectorum perfectissimorum casus & occasio non erat dabilis, non obstante, quod frustra sit illa potentia, quæ non traducatur in actum.* Numquid verò inde detrimenti æqualis integrorum perfectio capit? *Non dissolvisset, inquit Buchananus l. c. ordinem omnium communis ista donorum animi corporisque perfectio, cum neque dissolvat ordinatissimum cælestium spirituum regimen, nec dissoluturum sit electorum hominum simili graduum varietate disponendum in cælis ordinem.* Libertas enim in certis, aut paucis, causis restringitur, verum ex liberrima restringentium voluntate & pleno consensu. *Offertur, non obtruditur imperium. Limitatur, non tollitur voluntatis arbitrium,*

bitrium, non omne, sed aliquod, non in omnibus, sed aliquibus saltem negociis civilibus. Ad posterius dicimus, Voluntatis naturalis appetitum ordinatū & rectū ab inordinato & corrupto probe esse discernendum. Imperium supra aliquoties definitum directivum planè non repugnare ordinato appetitui, sed convenire potius, antè latius fuit ostensum, & Dn. Pufendorffius *l. II. c. 1. §. N. & G.* prolixè tuetur, *naturæ hominis non planè convenire, ut omnino sit liber, quin potius ejus dignitatem requirere, ut ad certum ordinem ipsius actionis exigantur.* Quin potius ergò corruptissimæ voluntatis signum arbitramur, quæ nullo prorsus se submittere vult jugo, unde non alius, nisi belli status, qualem Hobbes, *Elem. Phil. c. 1. §. 12.* ante societates extitisse concepit. expectandus. Nec est quod ad hæc excipias: Imperium sine vi & coactione nullum esse & perpetram dici, sed omne δύναμιν ἀναγκαστικὴν designare. Eleganter pro nobis & graviter Dn. Bœclerus *loc. cit. l. I. c. 3. pag. 200.* Quid enim? an angeli boni cogendi sunt, ut voluntatem divinam faciant? an, quia spontè & libenter alacriterq; faciunt, Deus ipsis non imperat? an, cum in civitate oderunt peccare boni virtutis amore, in bonos nullum est imperium? an imperium non est imperium, nisi in malos exerceatur, nisi distringat securim, i. e. nisi faciat quod facere nollet, quod per se nunquam eligeret, si faceret unumquodq; civitatis membrum, quod ordine imperandi parendiq; continetur?

§. 13. Plura, quæ ab adversariis cuduntur, argumenta, cumulare nolui, potiora hæc sunt, reliqua qui desiderant, præter hinc inde allegatos adeant partim Patronos, partim hostes, Scotum *l. 4. sent. Lombard. dist. 15. qv. 2.* Arriagam *Tom. 2. in part. 1. disp. 43. sect. 2. n. 16. qv. 69. art. 4.* Paul. Scherlogum *l. 2. antiqq. Ebr. Diss. 3. sect. 4. f. 328.* qui ibid. Svarezius quoq; pro nostra causa allegat. B. Gerhardum *Loc. de Magistr. §. 25. & 26. f. 240.* Rivetum *ad Gen. c. 1. Ex. 10. p. 45. sqq.* Felwingerum *tr. de Magistr. §. 6. p. 5. sqq.* Dom. Arumæum *Disc. Acad. de jur. publ. tom. 1. p. 375.* Ottonem *jur. publ. c. 1. Proleg. p. 2.* Marc. Ant. de Dom. de Republ. *Eccles. l. 2. c. 2.* Besoldum *Disfert. de Præcogn. Polit. c. 6. & 7.* Tolosanum de Republ. *l. 1. c. 2.* Arnifæum, *Relect. Polit. c. 1. sect. 3.* Timplerum, *Pol. l. 1. c. 3. qv. 10.* Wendlerum, *Proæm. Polit. qv. 2. & 3.*

S. D. G.

Coll. diss. A. 231, misc. 4